

molestia et tristitia, ostendit et apperire dignatus est nobis fontem sue misericordie, et misit ad nos, tanquam ex celo consolandos, Illustres Magnificos et eximios viros Fridericum & Bartholomeum Frangepan, qui donarunt nobis in Scyphis & poculis aureis & argenteis plus quam viginti Millia Marcharum in pecunia, vno verbo in Scyphis magni valoris. Et postquam deus mitigasset et auertisset iram suam a nobis, considerauimus seruicium et condicionem horum illustrium virorum, et donauimus eis vnum nostrum locum, qui est penes Mare, Vinodol (vocatatum) cum omnibus suis appertinencijs et omnibus questibus ad dictum locum spectantibus, predictis scilicet Friderico & Bartholomeo, illis et illorum heredibus & posteritatibus iure perenni, ita, vt nunquam ab iisdem recipi possint, taliter tenenda et possidenda, sicut et nos antea possedimus et tenuimus. Notificantes simul et hoc, quod si vnus illorum deficeret sine herede, ex tunc heredes alterius teneant et possideant illum locum. Cuius confinia ad Tramontanam, imprimis est fluuius et locus Rika, in monte maris incipiendo; et nostra libera aqua Richina, vsque ponticulum penes Prohouo. Trans aquam prima meta est in vno lapide, in quo est littera A meta et aqua sequitur libera, que aqua ex monte nostro Grobnicensi et confinio scaturit, murus supra inchoatur in Jilievicheh, qui dicitur Prezum, murus in piscina ad praputische, ex illa parte Terstenik, locus autem Terstenik manet noster et integer. Ex Praputische ad Kupin kamen, a kupin kamen ad lisen kamen, a lisen kamen ad bila voda, in valle Papruthio. A valle papruthio ad montem Berinschek, a monte Berinschek ad Gromache, a Gromache ad Brezidin et Babinopolie. Hec sunt vero confinia a monte maris vsque Babinopolie. In maius robur predicti doni pro eterna memoria dedimus ipsis Friderico & Bartholomeo has nostras litteras appertas cum nostro duplici sigillo. Per manus prudentis hominis Magistri Farcasij electi in Aula Cancelarij. Datum in Dobra. Anno domini M. CC Sexagesimo. Regni nostri anno vigesimo sexto.

(L. S.)

Kerčelić. Notitiæ praelim. pag. 195.

LVIII.

Anno 1263. die 21. Decembris.

Urbanus IV. Papa Belam, totius Slavoniae Ducem, in protectionem suscipit.

Urbanus Episcopus etc. Dilecto filio nobili viro B. Duci Sclavonie, salutem etc. Pro fidei meritis est, etc. Hinc est, quod nos tuis et carissimi in Christo filii nostri B. Ungarie Regis Illustris, patris tui, supplicationibus inclinati, personam tuam cum ducatu Sclavonie ac de Olcha, de Bragna, Symigia, Sala et